DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

BALSAMI VVLNERARII VNIVERSALIS VSV AC PRAESTANTIA

IN OMNIBVS VVLNERIBVS, VLCERIBVS TVM INVETERATIS TVM VENEREIS, OMNIBVS EXTERNIS ET PLVRIMIS INTERNIS INFLAMMATIONIBVS, SCIRRHOSIS INFLAMMATISQVE FEMINARVM MAMMIS, OCVLORVM MORBIS, HAEMORRHOIDIBVS CAECIS, CALCVLI DOLORIBVS, MANIBVS PEDIBVSQVE FRIGORE LAESIS, VIPERARVM MORSV, DYSENTERIA, SPASMIS LVXATIS MEMBRIS, TVBERIBVS, SCIRRHIS, ABSCESSIBVS, ET SI QVIS QVASSANDO, OFFENDENDO IN QVO, VRENDO VEL CADENDO SE LAESERIT RELIQVA

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA AD LEGITIME OBTINENDVM DOCTORIS MEDICINAE GRADVM

PVBLICE DEFENDET

BALSAMI VVLNERARII VNIVERSALIS AVCTOR

LAVRENTIVS MIZLERVS

PHILOSOPHIAE IN ACAD. LIPS. DOCTOR, ILLVSTRISSIMI REG. POLONIARVM CANCELLARII SVPREMI MALACHOVSCII COMITIS MATHEMATICVS, COMITATVS KONECENSIS IN POLONIA MINORI PHYSICVS O. SOCIETATIS SCIENTIARVM MVSICAR. IN GERMANIA FLORENTIS SECRETARIVS PERPETVVS ET SOCIVS

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS HOR. CONSV

DIE XXVIII IVNII cIↄ Iↄ CC XXXXVII

ERFORDIAE, typis IO. C. HERINGII Acad. Typogr.

PHAEDRVS

Nisi vtile est, quod facimus, stulta est gloria.

I

De nouo a me inuento, ad chirurgiam pertinente, medicamento, qui hic diſſeram, an recte faciam, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam, dicere auſim. Tanta eſt noſtris in primis temporibus & literatorum nonnullorum in iudicando temeritas, vt quidquid ipſis haud ſapiat, quidquid vim intelligentiae ipſorum ac notionem fugiat, omnino ſtolida quadam imprudentia reiiciant. Sed nos officio medici ſatisfacturi hominum magis ſalutem, quam imperitorum iudicia, quae varia forſitan interponent, reſpicientes, ad propoſitum, praemiſſis paucis, veniemus. Licet balſamum vulnerarium nouum publicae exponere luci ſuperuacaneum eſſe videatur, cum tam magna medicamentorum in chirurgia ſit copia, vt tum medici tum chirurgi ſaepius, quid aegroto optime conueniat, dubitent, nos tamen lege in natura inſita ducti, hoc noſtro balſamo chirurgiae in ſalutem hominum ſeruire haud dubitauimus, quia experientia teſte, edocti ſumus, ſimile noſtris temporis balſamum in curandis omnibus vulneribus, vlceribus, ſcirrhis, inflammationibus externis, reliqua, non inueniri. Nota ſunt balſamum Locatelli, Samaritanum, balſamum Arcaei, Stahlii, aliorum, noſtrum

autem, his vtrum ſit praeſtantius, an inferius, non intimiorem chymiam ignorantes, ſed experientia, ni fallor, docere debet. Balſamum meum illuſtri hic laude haud me decet celebrare, qui honeſti viri officio, cum de illius vſu ac praeſtantia ſcripſerim ſufficienter, ſatisfeci. Eorum, qui eo vtuntur, nunc eſt, attendere animum, an effectus enarrationi virtutum reſpondeant, meque virum ſincerum atque honeſtum inueniant, id quod ego pro ſummis in hac vita divitiis atque ornamentis ſemper putaui.

II

Balſamum noſtrum vulnerarium vniuerſale optime adhibetur 1) *omnibus vlceribus inueteratis*, ex quacunque cauſa ea orta fuerint, qui vlcera inueterata per decem, duodecim pluresque annos aperta, balſami huius auxilio non ſemel paulatim ſanarim feliciter, cum omnia ante in vſum adhibita, variaque medicamenta vulneri impoſita, id curare haud potuerint. Hoc autem modo medetur vlceribus inueteratis balſamo noſtro: aegrotus ſe cibis acidis, acerbis, difficilibus ad concoquendum, vt braſſica ſale condita, cepa, allio, ignobilioribus piſcibus, carne fumo exſiccata, reliqua, abſtinere debet, in primis autem corpus alui blanda ductione medicamentis balſamicis purgandum ſaepius. Ad hoc maxime faciunt pilulae balſamicae celeberrimi FRIDER. HOFFMANNI aliquoties tertia vel quarta die, viginti, vel viginti ſex, atque adeo triginta numero, tribus poſt coenam elapſis horis ſumtae. Hae ad manus ſi non ſint, earum loco Becherianis, Stahlianis, nec non pilulis mercurialibus bene paratis, noſtrisque mercurialibus balſaminis ſingulari opera a nobis confectis, *) recte vtimur.

Si

*) Cauſa, quae me ad faciendas pilulas balſaminas mercuriales impulit, ea fuit maxime,

Si vlcus inueteratum per tres, quatuor, pluresque annos continuo apertum fuerit, corpusque impuritatibus abundet, sola laxantia, licet plane sint necessaria, haud sufficiunt, sed praeter ea vsus decocti lignorum, per tres vel quatuor hebdomadas, requiritur. Hunc autem in modum lignorum decocto vtuntur. R. Sassafr. lign. iuniper. guaiaci, rad. Sarsapar. chinae, pimpinel. alb. aa. q. s. scindantur ac misceantur, in aquae fontanae mensura vna horum lignorum manipulus dimidius super imposito operculo, eoque, quod melius, massa ex farina, aqua & oui albumine subacta, agglutinato, per dimidiam horam coquatur, & mane loco potus theae dicti, aegrotus calide bibat, vel quartam vel tertiam mensurae partem secundum corporis proportionem, id quod eadem die, hora ante coenam, repeti potest, si necessarium esse videatur. Alternis diebus mane simul guttae triginta, vel quadraginta tincturae antimonii tartarisatae accipiuntur, in decoctum vel sacchari frustulum destillatae. His medicamentis interne in sanando vlcere inueterato, re principali, opus est, quod hoc modo expeditur. Linteum mundum carptum, quod nos *Carpi* dicimus, balsamo nostro illitum in vlcus imponatur, bis in die, mane & vesperi, quo facto fascia ad locum vlcere laesum apta, vel fascia lata, textoris arte ex filis lin-

maxime, quia obseruaui mercurium dulcem a pharmacopoeis non ita parari, vt omnis eius exedendi vis tollatur, quo in casu plus mali quam boni efficit. Deinde mercurius ex commercio salium, quae saepius in pilulis mercurialibus communibus admiscentur, venenum euadit; idque eo magis, quo diutius salia cum mercurio coniuncta & in compositione simul trita fuere. Nostrae autem pilulae mercuriales sunt merae balsaminae, mercurius vero dulcis ita paratus, vt illa vis depascens plane destructa sit, pilulaeque eaedem maneant, etiamsi per tres annos seponantur. Laxant satis bene, & vbi multas in intestinis offendunt impuritates etiam purgant, sed sine omni molestia ac torminibus. In eo sum, vt de earum vsu ac praestantia mox planius exponam.

teis confecta *(einem breiten Zwirnband)* ita obligetur, vt neque nodus, neque futura, neque filum craſſius, ſi forte faſcia cum eo circumligatur, vlcus offendat. Hunc in modum aptetur faſcia, ne nimis conſtricta ſit, tamen vt contineat. Praeter ea pelles aliaque ſaepius ſuper faſciam, ad vlcus ab aeris iniuria defendendum, recte adduntur. Hoc fiat quotidie bis vsque eo, dum vlcus inueteratum maxima ex parte ſanatum ſit, circa finem curationis autem ſemel in die balſamum de nouo in vulnus imponere ſufficiet. Eodem vero tempore ac inueterati vlceris ſanatio cum balſamo incepta, medicamentis etiam ſupra dictis interne ſimul vtendum.

III

Licet balſamum noſtrum inflammationem vlceris ſua iam virtute auferat, neque minus tamen, vbi vlcus magna laboret inflammatione, ſequenti ea tollenda cataplaſmate. ℞. lapid. calaminaris, litharg. aa. ℥i. fiat inde puluis, qui cum aqua calcis libra vna miſceatur, & ſuper ignem ita calefiat in lebete, continuo maſſam agitando, ac aeger ferre calorem poterit, quo facto inter linteamenta vlceri imponatur. Maneat per duodecim, viginti vel viginti quatuor horas in vlcere, totiesque repetatur vsque eo, dum inflammatio, vel omni, vel maxima ex parte ſit ablata. Notandum in vſu cataplaſmatis neceſſarium quoque eſſe balſamum, quod continuo ita adhibeatur, vt prius id linteo carpto illitum vlceri, & ſuper hoc cataplaſma imponatur. Quod ſi vlcus haud porrectum, ſed profundum, turundae balſamo illitae in id inferendae. Quia autem facile turundae, iuſtam ſi figuram non habeant, recteque accommodentur, male faciuut, longe melius cautiusque eſt, balſamum ad ignem moderate liquefactum infun-

infundere, vel mediante ſyringe immittere. Si canchrema, ſeu, vt alii dicunt, caro luxurians, quod ſaepius fieri ſolet, in vlcere adeſt, aqua calcis, cui parum mercurii ſublimati admixtum, id humectatur, vel lapide infernali, vt butyrum antimonii, cryſtallos veneris, oleum arſenici, multaque alia cauſtica taceam, aliquoties in die vsque eo tangitur, dum id omni ex parte exeſum ſit, vel ſi ſatis eius magna moles, linteolum vel goſſypium in aqua phagedaenica, id eſt, aqua calcis cum mercurio ſublimato, madefactum, canchremati imponere vſui erit. Caeterum notum eſt, nullum vlcus inueteratum, in quo canchrema haeret, niſi id prius depaſtum ac vlcus in vulnus mutatum ſit, ſanari poſſe, ideoque eius ademtionem plane eſſe neceſſariam. Signa autem canchrematis haec ſunt, vel omni ſenſu, ſi tangatur, vel maxima ex parte caret, facile ſanguis effluit, caro ſaepius rubicunda, ſub atra etiam & ſubliuida, quae aptato cauſtico quodam in ſuperficie alba apparet.

Si quis aquam calcis ex pharmacopolio longo ſpatio diſtante ad dictum cataplaſma comparare non poſſit, ſuo marte eam hunc in modum parare facile poteſt. R. calcis recentis puraeque libram vnam, extingue eam cum octo libris aquae feruidae, & per horas octo vel decem ſepone, quo tempore elapſo calx in fundo iacet. Hoc facto aquam claram paulatim defunde & chartae bibulae ope cola, & ſic ad cataplaſmatis vſum parata eſt. Qui & aquam mercurialem ad exedendum canchrema ipſe parare in animo habet, vel coactus eſt, ad libram aquae calcis addit ſcrupulum mercurii ſublimati, qui aquae colorem ſub flauum inducit, bene agitando aquam in vitro. Saepius vlcera ita ſunt inueterata, vt in iis emundandis & hac mercuriali aqua vti debeamus. Eodem tem-

pore quo canchrema depascimus & balsamum nostrum iis in locis adhibemus, vbi id non adest, hoc si omni ex parte ablatum, balsamum iterum vlceri toti applicatur, mane vesperique, tali modo, vt super linteum carptum, balsamo illitum, vulnerique accommodatum, emplastrum imponatur, eum tantum in finem, vt melius contineat, fascia deinde obligetur, id quod fit vsque eo, dum vlcus inueteratum curatum sit, quod non iterum recrudescet, si massa humorum interne simul bene purgata fuerit, atque ab eius impuritate in posterum nobis caueamus. Hanc ob causam eiusmodi hominum personae, quae per plures annos vlcera aperta habuerint, adhuc per aliquot annos, bis in anno aequinoctiorum temporibus, vere & autumno, supra dictis mediis balsaminis laxantibus ac decocto lignorum, ad purificandos corporis humores, vti debent. Hoc recte si faciant, non habent quod timeant, vlcus iterum hiare coepturum. Nam si hoc accidit, signum est, corpus in sanando vlcere interne simul non bene fuisse purgatum, vel postea de nouo collectas humorum impuritates non recte per aluum, vrinam & corporis superficiem euacuatas fuisse. Natura enim, quae aliquot annorum spatio humorum impuritates per vlcus apertum, eiicere assueuit, eodem loco iterum apertionem molitur, si ea, quae denuo impura, excernere velit. Cum igitur impuritates per alia nunc & naturalia loca, medicamentis adiuuantibus excernantur, nulla adest ratio, cur vlcus iterum recrudescat. Hac enim ratione naturam e pristina consuetudine, impura loco incommodo excernere, recedere & in statum naturalem iterum redire quasi cogimus.

IIII

Neminem operae suae, quam quotidie bis in sanando

do vlcere inueterato ponit, taedeat, neque longi temporis, quod huic rei, ad pristinam sanitatem restituendam, tribuendum, impatiens sit. Si enim contra vlcus inueteratum vim suscipere, & ante quam sanitati confert, annosam apertionem sanare haud dubitamus, plus corpori detrimenti quam emolumenti per festinationem importamus. Experientia sumus edocti, eos quorum vlcera inueterata annosa festinanter sanata fuere, in grauissimos incidisse morbos, atque adeo ad mortem missos fuisse, inprimis cum corpus internis simul medicamentis purgatum plane non fuit. Prudentes igitur aegroti doctorum medicorum admonitu persuasum sibi habeant, vlcera inueterata annosa plane festinanter non esse sananda. Nostrum balsamum, de quo disserimus, hac gaudet virtute, vt inueterata vlcera paulatim coalescere faciat, contra ea recentia vulnera cito sanet. Causa effectus huius haec est: multas ad se trahit corrigendo impuritates balsamum, cum igitur in vlceribus inueteratis, natura iam assueta sit sordes ibi excernere, balsamum huic naturae conatui auxilio est, ita vt adhibito balsamo longe plus impuritatis, quam ante, per vlcus inueteratum excernatur: quam diu igitur balsamum impuros humores inuenit, tam diu etiam vlcus inueteratum non coit, id quod etiam nullum vsum ad sanitatem corporis afferret, si citius, quam corpus interne bene purgatum sit, fieret. Quare necesse est, vt ad purificationem humorum interna medicamenta simul adiumento sint, ne nimium temporis consumatur. Aegrotus qui per sex, octo, & decem annos, vlcere inueterato laboraverit, non habet quod queratur, si intra nouem, duodecim, vel decem & quatuor, menses, omni ex parte & caute sanatur.

V

Quia nonnulli rem, haud felicem exitum, vbi vlcera inueterata cito & non adiuncta debita cautione sanata fuerint, habuisse, experti sciunt, in aliam minime verisimilem opinionem adducti in vniuersum haud e re esse, vlcera inueterata annosa sanare, credunt, id quod tum sanae rationi, tum experientiae, contradicit, ideoque hic nec refutatione dignum. Qui secundum hic praescriptam methodum apertioni annosae, vel sua, vel chirurgi manu, medetur, sua erit experientia conuictus, longe melius esse, corpore integro sanoque, prout alii maxima ex parte homines, gaudere, quam vitium ad mortem vsque incommodissime ferre, vt taceam, plerumque in fine grauissimos morbos, inflammationes, gangraenam, sphacelum superuenire.

VI

Euentus docebit, omnia vlcera inueterata, qualiacunque sint, balsami huius ope, prout supra docui, sanari posse, nisi iam omnia funditus deprauata sint, aegrotusque senio ita confectus, vt naturae vires ad secernendas excernendasque humorum impuritates, carnemque resarciendam, haud sufficiant. Experientia teste videbimus, hoc medicamentum vlcus benepurgare, purgatumque hoc in statu conseruare, impuros humores corrigendo extrahere, dolores sedare & auferre, & in primis impedire, ne grauia symptomata accedant, qui summa cum fiducia persuasum mihi habeo, omnes, qui eo vtuntur, exploratum habituros, nullam inflammationem, si in tempore balsamum adhibeatur, neque in gangraenam, neque sphacelum posse degenerare. Deprehendemus etiam balsamum hoc, si satis magnam

impu-

impuritatum copiam extraxerit, eaque decrefcere incipiat, carnis accretionem valde adiuuare.

VII

Antequam de vfu balfami aliis in morbis dicam, conuenit adiicere, vtile effe praeter pilulas balfaminas, noftrasque mercuriales, & lignorum decoctum, fi vlcera inueterata venerea fint, aliquoties alternis diebus & mercurio dulci, fed optime parato, fumendo femel quinque vel fex grana, vti, qui optima veneni venerei antidotus reperitur, fi bene ad vfum accommodatus fuerit, quidquid nonnulli medici ex praefumta animo opinione contra mercurium dulcem dicant.

VIII

Eodem modo hoc balfamum optime adhibetur II) *omnibus vulneribus recens factis*, quae fatis cito fanat, fi impuritates eiecerit, vel pus mouerit ortumque extraxerit. Linteum carptum fuperillito balfamo vulneri imponitur, vel etiam in forma emplaftri applicatur, fi vulnus prius vino calido, vel fublimato, vel fpiritu vini rectificato bene fit elutum. Quod fi vulneratio magna fit, ita vt haud exigua fanguinis copia effluat, vulnus aequaliter ex vtraque parte comprimendo, vel puluere fympathetico, id eft, vitriolo radiis folis calcinato, id confpergi, & fic fanguinis profufio compefci debet. Si parua arteria incifa eft, fanguinis profufio non aliter, quam vini alcohol, vel ftyptica aqua LEMERY, fupprimitur, quibus linamenta, vel goffypium, immerfa, vulneri imponuntur, eo recte aptata fafcia compreffo, quo facto plerumque, fi omnia recte fiant, fanguis intra dimidiam horam, vel horam ad fummum, quiefcit. Cauendum hic, ne fedato fanguine, cum linteum vel goffypium detrahatur, vi hoc fiat, indeque

de nouo ſanguinis profluuium oriatur, ſed ſpiritu vini, ſi vini alcohol, vel tepida aqua, ſi ſtyptica aqua vſus fueris, cruſta ſub linteo facta prius emolliatur, & ſic caute auferatur. Alii non male paruas arterias deuinciunt, vel praecidunt, vt eae in ſe ipſas coire & ſic ſanguinis profluuia impediri poſſint. Quod ſi vero magna arteria, vel brachialis, vel cruralis, inciſa, vel praeciſa eſt, neque tam multis ramis gaudeat, vt membro ſufficientem nutrionem, ea deuincta, aduehere poſſit, nil ad conſeruandam aegri vitam reſtat, quam admota faſcia tortili membri abſciſſio, non autem deuinctio magnae arteriae, quae hoc in caſu fere ſemper, primum conuulſiones & gangraenam, deinde mortem affert. Peritus rerum ſuarum chirurgus libentius candens ferrum, quam deuinctionem, eligit, quae certis tantum caſibus reſeruatur. Si tandem vulneratio huius conditionis, vt caro ex vtraque vulneris parte, nimium ſeparata & hiatus ſit, futura ſicca aut cruenta, hoc eſt, filo ſerico ſui, vel etiam emplaſtro ad id apto prius alligari debet. His, aliisque ex chirurgia petendis, antea ſecundum res circumſtantes, obſeruatis, balſamum deinde, linteo carpto illitum, proſpero ſucceſſu adhibetur. Superuenienti febri, quibus vulnerati ſaepiſſime, & fere omnes laborant, doctum medicum ſecundum morbi attributa medicinam facere oportet.

VIIII

Quemadmodum hoc balſamum omnibus vulneribus recens, vel caeſim, vel punctim, factis, bene medetur, ſic etiam in omnibus recentibus laeſionibus vtile eſt, nempe III) *qui cecidit, vel quaſſando, offendendo, vrendo* ſe laeſerit, reliqua, ſi balſamum ad manus eſt, laeſum ſtatim eo locum inungat, linteoque obliget. Balſamum enim praeter primam virtutem principalem, quod non citius vulnus

nus sanet, quam pus, impurique alii humores eiecti sint, & his praeditum est, vt sanguinem, extra sua vasa haerentem, aliosque humores concretos, resoluat, simulque transpirationem insensibilem liberam, eo in loco, quo adhibeatur, promoueat, tertia autem virtus principalis tonica est, vt neruos etiam roboret.

X

Hanc ob causam IIII) *inflammationes externas omnes, plures internas* curat. Omnes inflammationes, non ob externas causas factae, inde ortum trahunt, quando, aucto sanguinis motu, minimarum arteriarum sanguis vi in minima vasa adiacentia lateralia propellitur, in quibus, secundum naturae leges, lympha, vel succus nutritius, continetur. Cum igitur sanguis retrogredi non possit, ibique haereat ac putrescat, dolor, tumor, rubor, nimius calor, cutisque splendens, oriuntur, quibus cito medemur, balsamo locis inflammatis inuncto, fasciaque obligatis, vel etiam balsamum mundo linteo detrito illinitur, inflammatisque membris imponitur, quod deinde mitigat dolorem, caloremque, concretum sanguinem, aliosque humores resoluit. Quod si autem sanguis ita iam corruptus sit, vt resolutio non amplius locum inueniat, mirum in modum eum digerit, emollit ac suppurationem adiuuat, & deinde pure extracto paucis diebus apertionem sanat.

XI

Vtilitatem affert balsamum V) in curatione *erysipelatis*, si locum inflammatum faciei, vel manuum, pedum, brachiorum, dorsi, scapularum, crurumque, omni ex parte inungimus, linteoque obligamus, VI) *phlegmones*, vbi inflammatio iam altius, quam in erysipelate, descendit, ideoque inunctio, & saepius, & maiori copia, fieri debet, ter vel qua-

ter nempe in die, cum eryſipelas binas tantum inunctiones in die deſideret. Membrum phlegmone affectum ita collocandum, vt neque a calore, neque a frigore, offendatur & quieſcat, VII) *varorum & guttæ roſaceae* VIII) *furunculorum carbunculorumque* VIIII) *inflammatarum tonſillarum* X) *parotidum*, XI) *glandularum ſubaxillis* XII) *bubonum* XIII) *tumefacti praeputii* XIIII) *inflammatorum teſticulorum* XV) *vlcerum praeputii glandisque*, vbi eodem, ac ſupra dictum fuit, modo adhibetur. Vltimo autem in caſu, balſamum cum aequali olei philoſophici, vel ligni guaiaci, parte, miſcere convenit, ſi ſpongioſa caro, carnis luxuriantis naturam induens, adſit, quo ea blande depaſcitur. Aqua enim mercuriali communi, lapideque infernali ex argento parato, ſuperflua, in loco tam ſenſibili ac neruoſo, exedere, prout ſaepius inexperti chirurgi audent, aegrisque intolerabiles dolores creant, minime decet. Caeterum intellectu facile eſt, ſi in morbis bubonum, tumefacti praeputii, inflammatorum teſticulorum, vlcerum praeputii glandisque, gonorrhoea ſimul aeger, vel benigna, vel maligna, laboret, internis eam medicamentis ſimul curandam eſſe, id quod hunc in modum peragitur. Aeger quotidie, bis in die, mane potu theae vtens, & veſperi in aqua petroſelini, ſequentis medicamenti triginta, vsque ad quinquaginta, guttas accipit, agitato prius in vitro liquore. R. balſ. ſulph. ℥ß. balſ. copaiu. olei iunip. aa. ʒii. olei ſuccini, therebinth. aa. ʒi. mercurii dulcis optime parati ſcrup. iß. Miſce. Qui hoc medicamento per hebdomadam fuit vſus, pilulas deinde mercuriales ſumit, cui rei pilulae noſtrae balſaminae mercuriales maxime ſeruiunt, quia ſine moleſtia & torminibus bene laxant, & tantum abeſt, vt debilitent, vt potius ventriculum atque inteſtina corroborent confirmentque

mentque

mentque, ac venenum venereum blande e corpore pellant. Hoc peracto mixtura denuo vtitur aeger per hebdomadam, qua finita, iterum pilulae mercuriales ſumendae, matutino tempore, adiuuando operationes hauſto carnium iuſculo, vel cereuiſia tenuiori calida butyro emollita, vel alio infuſo idoneo, ſic & tertia hebdomade continuatur. Quod ſi forte gonorrhoea nondum, elapſis tribus hebdomadis, omni ex parte curata, ſeminisque corrupti profluuium pertinax ſit, ſingulis diebus veſperi Blancardi pilulae, ex gummi elemi, maſtichis & terrae catechu compoſitae, ſumendae, duo ſcrupuli doſin conſtituunt, robuſtiores autem & drachma vti poſſunt. Aeger durante hac cura, cibis crudis acidisque, vt halecibus, braſſica, carne fumo exſiccata ſaleque condita, cetera, ſe abſtinere debet, ſic etiam potus multis ſpiritibus praediti, vinum, vinum ſublimatum, mulſum, vitandi. *Chocolada* etiam & adhuc magis *coffea* hic abs re eſſe videntur. Cereuiſia tenuior, bene defaecata, haud inſalubris, optimus autem potus decoctum hordeum, ſyrupo dialtheae dulce factum, hic reperitur. Operae pretium videtur eſſe, hic obſeruare, atque hoc morbo laborantes vehementer admonere, ne permittant, vt chirurgi inexperti, circumforanei medicaſtri, aliique naturae humanae oeconomiam ignorantes, medicamenta tamen propinantes, ante venenum quam venereum deſtructum ſit, ac conueniat, corrupti ſeminis profluuium adſtringentibus tollant, vnde non ſolum fere ſemper bubones oriuntur, verum etiam tam multa mala vniuerſo corpori importantur, vt viri cordati omnino doleant, tam multos iuuenes ſanitatem, reipublicae ſaluti tribuendam, hac ratione perdant, non alia ex cauſa, quam quia medicis doctis ac reticentibus morbi conditionem aperire inopportuno tempore pudent, aliorumque hominum inexpertorum mediis vtuntur.

XII

Vtilitatem porro haud contemnendam habet balſamum XVI) *in ſananda exulcerata vrethra,* quae in omni gonorrhoea maligna, corrupti ſeminis acrimonia, corroſa eſt. Lacte tepido mixtum in vrethram immittitur, quem in finem ad ignem prius liquefacti ſcrupulus balſami pro vna immiſſione cum lacte miſcetur. Dolores minuit & tollit, licet aeger, facta infuſione, ab initio ardorem quendam ſentiat, ob quem non eſt quod timeamus, quia exulceratum ductum vrinarium breui tempore ſanat, aegrotumque vrinam mittendo doloribus liberat.

XIII

Experientia veritateque adductus affirmare auſim XVII) *in curandis inflammatis, obduratis & tumefactis mammis, & in quibus ſcirrhi, vnde cancer ſaepiſſime oritur, adſint*, vix ac ne vix quidem melius medium noſtris temporibus notum eſſe vel inueniri. Quod ſi non ab honeſtate remotum putarem, multa hic teſtimonia procerum aliarumque feminarum, quas ſolo hoc balſamo periculo inſtantis gangraenae liberaui, afferre poſſem. Sed quia melius, vt balſamum ipſum laudem ſibi pariat, dum adhibitum re vera effectum efficiat, quam vt hic celebretur, hoc tantum adiicio, mihi ab illo tempore, quo medicinam in Polonia minori feci aegrotis, eiusmodi inflammatas mammas in manum incidiſſe, quae non tantum incipiente cancro ſed & maculis atris ſubliuidisque, ſphaceli ſignis, laborarunt, quas autem ſolo hoc balſamo, quod bis in die mane & veſperi in forma emplaſtri linteo detrito, ita craſſe ac cultri dorſum, illitum, inflammatae mammae imponere & leniter circumligare iuſſi, Deo fauente ſanaui, nullis vſus internis medicamentis. Hoc non ter, vel quater, ſed ſaepius mihi accidit,

accidit, cum communis in Polonia minori morbus apud plebeias in primis mulieres ſit, vt lac in mammis craſſum confertim haereat atque inflammetur, & tandem, quia vt plurimum valde negligentes ſunt, neque medico prius quam extremis ſtant, vtuntur, in nodoſam & cancroſam congeriem abeat, quo in caſu balſamum adhuc ſolatium praebet, ardentes dolores minuit, ac materiam in vaſis lactiferis haerentem & fere emortuam, in pus bonae notae vertit, quo facto ſponte mamma aperitur & pus paulatim effluit, quod ſaepius canthari Lipſienſis menſuram ſuperauit. Diebus aliquot elapſis, ſi pus maximam partem effluxerit, turundae balſamo illitae in mammae foramina inſerendae, vsque eo dum pus penitus extractum, quo facto abiectis turundis vlcera mox coeunt. Turundas hic hinc ob cauſam commendo, quia mulieres, ipſae ſibi medicinam facientes, maxima ex parte inſtrumentis ad iniectionem balſami carent, ideoque turundarum balſamo illitarum ope id efficere debeant. Expertus ſcio turundas ſanandis mammis haud nocere, ſi tantum nimis profunde non inſerantur, iuſtam figuram habeant, neque diutius adhibeantur. Super turundas adhuc balſamum in forma cataplaſmatis inflammatis mammis imponendum, vsque eo dum inflammatio omni ex parte expugnata ſit, id quod, mea quidem experientia, vt plurimum decima die factum. Quod ſi forte ſphacelus magna ex parte mammam iam occuparit, nil amplius reſtat, quam vt expertus chirurgus ſine temporis detrimento emortuas partes recte exſcindat, reliquasque ſanas ab hoc malo defendat.

XIIII

Quod ſi vero inflammatis obduratisque mammis ſtatim in principio balſamo auxilio veniamus, tumor durus

ac

ac nodoſus raro in ſuppurationem abit, ſed obdurata in vaſis lactiferis materia mox reſoluitur, tumor atque inflammatio minuitur, aufertur, mammaque mollis fit, atque vt plurimum eiusmodi mammae intra quinque dies ſanatae ſunt.

XV

Balſamum hoc etiam affert vtilitatem quandam XVIII) *in ſcirrhis cancroſis & cancro occulto*, atque adeo aperto cancro aliquoties hoc modo medicinam feci. Vnciam cum dimidia balſami, ſemiuncia olei rutae veri, miſcui, locaque cancro laborantia, in facie, fronte & naſo, bis in die bene illinere, laminam deinde ex plumbo factam imponere, & circumligare faſcia, iuſſi. Simul vſus internis ſum, ad mitigandos corrigendosque virulentos humores, medicamentis, quo facto aegra, gaudio vt ego cumulata, conualuit, ita vt nulla externa cancri ſigna adfuerint. Sed diffiteri non poſſum, octo menſibus elapſis cancrum recruduiſſe, feminamque vita fuiſſe priuatam.

XVI

XIX) *in ſananda Phrenitide* emolumenti quid affert balſamum, ſi cataplasma ex eo fronti bis in die imponitur. Maxime autem hic conducit venae ſectio, quae in pedibus primo, non vero in vena iugulari, vt quidam chirurgiae doctores male ſibi perſuadent, inſtituenda. Sanguis enim eo dirigit impetum, quo vena ſecta fuit. In brachio deinde venae ſectio repetitur, & ſi phrenitis vehementior, ſanguiſugae iuxta aures applicandae, vel his deficientibus, cucurbitulae, & tum demum, ſi e re eſſe videatur, vena iugularis ſecanda.

XVIII

Reſtant nonnulli adhuc morbi, quibus balſamum adiumento

iumento est, licet interna potissimum medicamenta temperantia ac diluentia, ac praecipue venae sectiones, recuperandae salutis fundamenta ponant, nempe XX) *Anginae*, vbi emplastrum ex balsamo circa collum, maximeque sub mento & super arteriam asperam applicatur. Fauces inflammatae balsamo, aequali parte melle rosarum mixto, illiniri penicillo possunt, sed cauendum, ne aeger quid deglutiat, id quod incommoda afferre posset. Praecipua autem res est, statim in principio nociuos humores, infusi laxantis ope, ex rhabarbaro, tamarindis & manna confecti, a partibus superioribus ad inferiores deriuare atque excernere, semperque alternis diebus enema, ex lacte, chrysanthemi floribus & sufficienti nitri depurati parte paratum adhibere. Deinde vena maior in brachio, & si aeger convalescere haud incipiat, altera vel eadem, si non abs re esse videatur, die, vena secanda iugularis, & tum demum, secundum morbi attributa, sanguis ex ranina sub lingua mittendus. Neutiquam sanguinis missio primum in ranina, vt plures chirurgi in aegroti perniciem faciunt, malumque peiorem in modum excitant, instituenda, sed a partibus inferioribus ad superiores venas secando, vt in phrenitide, adscendendum. Scarificatio in colli parte inferiori iuxta scapulas valde etiam vtilis est, quae autem non ab initio, sed secta prius vena maiori in brachio, venaque iugulari, in vsum adhibenda. Praesente strangulationis, ob spirandi difficultatem, metu, arteria aspera sub cricoide inter tertium & quartum circulum cartilaginosum perforanda.

XVIII

XXI) *In obstructo hepate ac liene* vsum habet, si bis in die loca dolore affecta balsamo tepide inungas, & per noctem tenue emplastrum ex eo imponas. Hic iterum ve-

nae sectio salutaris, praecipue si in mulieribus menstrua sanguinis excretio, inque viris haemorrhoidum fluxus obstructus est, vel haud sufficienter fluit, quae in pede sucipienda, nisi ob crassum sanguinem alienum esse videatur, quo in casu prius vena in brachio secanda, ac conuenientibus medicamentis, sanguinem diluentibus, is fluidus reddendus, & tum demum venae sectio in pede repetenda. Hirudines, quae viris in intestino recto applicantur, magni hic sunt vsus, nec non aqua sedlicensis tepide hausta, corpus simul blanda ambulatione, equitando vel vehendo, agitando, multum prodest.

XVIIII

XXII) *In pleuritide tum vera tum spuria* salutare, si locum inflammatum calide prius inungas, & emplastrum deinde ex eo superponas, notandum autem in spuria pleuritide, ubi inflammatio maxima ex parte in exterioribus partibus inest, plus adiumenti, quam in vera, afferre, qua existente, saepius calide in die inungi, semperque inunctione finita emplastrum ex eo imponi, & vena, altero in brachio e regione posito, secari debet, vt in latere haerens congestusque sanguis moueatur atque ad alias partes deriuetur, id quod in pleuritide spuria non videtur esse necessarium, excepta manifesta plethora. Interne celeb. D. Werlhofii lac camphoratum egregie iuuat, quod ex Sem. Melon. card. Mar. ana ℥ß camphorae ℈ii decocti hordei ℔i facta emulsione, additaque antim. diaphoret. nitri puriss. ana ʒi & sacchiro q. s. paratur, sumendo singulis dimidiis horis, quantum cochlear capit.

XX

XXIII) *In variis oculorum morbis* balsamum nostrum egregium medicamentum deprehenditur, cumque de eo nil

nil nisi experientia edoctus scribam, sincere affirmo, me in curandis inflammatis oculis multa effecisse, iisque breui tempore saepius, nullis praescriptis internis medicamentis, feliciter fecisse medicinam. Linteo detrito illinitur valde tenuiter, ac per noctem oculis inflammatis imponitur, in die autem sic palpebrae inunguntur, bis vel ter. Hoc vtiliter fit in *lippitudine*, *in sugillatione*, vbi album oculi sine inflammatione rubescit, plurimumque de sanguine minimis in arteriolis haerente, vel etiam, causa externa, contusione, ictu, oritur, *in Xirophthalmia*, *epiphora*, *ophthalmia*, *chemosi*, aliisque ex inflammatione ortis oculorum morbis. Qui per noctem tantum palpebris imposuit balsamum, matutino tempore sentit, dolores leuiores omniaque symptomata mitigata fuisse, quae secunda tertiaque die magis magisque remittunt, quarta autem quintaque plerumque cessant. Plus vice simplici acerbissimas oculorum inflammationes, nulla interne adhibita medicina, solo nostro balsamo sanauimus. Magis autem e re esse videtur, si balsamo vtentes simul, cereuisiae vel vini loco, decoctum ex radice scorzonerae, veronicae, foeniculi & rasurae cornu cerui in auxilium vocemus, idque large hauriamus, nec non balneis pedum, & cantharidibus, emplastro exceptis, ac ceruici impositis vtamur. Quod si inflammatio valde exacerbata, conuenit tam multum ac dimidia lentis pars efficit, oculi angulo maiori inungere, & deinde clauso oculo pupillam intus mouere, vel etiam penicilli aut plumae ope, oculi album, quod eo tempore vt cruda rubra caro apparet, illinere. Hoc facto dolores leuiores sequuntur, cum balsamum oculum parum irritet, sed tantum abest, vt mala inde venire opinemur, vt secutura postea morbi imminutio & tandem sanatio praecedentes nullius momenti

 dolo-

dolores quam optime leniat. Si mulieres puerperae, vel finito iam puerperio, inflammatis oculis vexentur, ophthalmia hoc in casu saepissime ex impuritatibus adhuc in matrice contentis ortum trahit, quae conuenientibus medicamentis, prius euacuari debent, sin minus, balsamum non iuuat, licet symptomata ac dolores imminuat. Caeterum experientia conuictus, ante quam balsamum vulnerarium omni ex parte elaboraui, animaduerti, vnguenta, cataplasmata, aliaque collyria, quae vulgo celebrantur, parum valere in sanandis inflammatis oculis, saepiusque malum exacerbare, meliusque curam interne suscipi, vt celeberrimus praestantissimusque FRIDER. HOFFMANNVS, Regis Borussiae quondam Consiliarius intimus in dissertatione de variis visionis vitiis affirmat, secundum cuius praecepta salutarem artem maxima ex parte didici. Sed balsamum nostrum, hac in re exceptionem dari, effectu docet, quod optimum collyrium, ex butyro sale carente, sacharo saturni & vitriolo albo compositum, longe superat. Nam praeter dolores lenientem, neruos roborantem, humorumque malorum excretionem promouentem, & resoluente virtute gaudet. Non possum non hic specialem monachi cuiusdam casum ernarrare, cuius oculus eum in modum fuerat inflammatus, vt eo captus haud dubio illum perdidisset, nisi in tempore conuenientia media ad recuperandum lumen dedissem. Adhibitis multis mediis domesticis, maloque iis maiorem in modum exacerbato, auxilio vt venirem requisitus, oculum inspiciens aliter, ac alterum sanum, coloratum, humoresque eius turbidos densosque deprehendi, oculi album autem carnis crudae cruentae naturam induebat. Iussi examinatis ponderatisque rebus circumstantibus eum decocto lignorum, maximam partem

tem ex radice Sarſaparillae lignoque Saſſafras compoſito, vti, cereuiſiae loco, aliquoties ſumtis noſtris pilulis mercurialibus balſaminis, aluum ducere, balſamum autem vulnerarium diu noctuque ſaepius oculo inflammato linteo tenuiter illitum imponere, quo facto duabus elapſis hebdomadis videre, tertiaque finita, legere iterum potuit. Hic internis medicamentis parum tribuit, quia noctu in primis, dixit, ſe obſeruaſſe, balſamum noſtrum oculum interne cum dolore quodam quaſi rimatum fuiſſe, hocque peracto morbum ſemper decreuiſſe. Nullus dubito, balſamum noſtrum in initio amauroſis vſum etiam habiturum, id quod autem experientia nondum cognoui. Data hac occaſione praeſtantiſſimum contra oculorum caliginem medicamentum a celeberrimo IO. SLOANIO, Regis Britanniae archiatro, euulgatum, adiicere ſimul non dubitaui, quod hoc modo praeparatur: ℞. Tutiae opt. praep. ℥i. haematit. praep. ſcrup. duos, optim. aloes praepar. gr. xii margarit. praepar. gr. iv. Haec omnia in mortario marmoreo, addita ſufficienti viperarum pinguedine, piſtillo pariter marmoreo inter ſe ita miſceantur, vt vnguentum tenue inde prodeat, quo ita vtendum, vt mane vel veſperi, vel ſecundum aegroti conditionem, & mane & veſperi, oculus eo, ſubtilis ex capillis confecti penicilli ope illiniatur. Illuſtris experientiſſimusque SLOANE affirmat, mirandum in modum hoc vnguentum oculorum morbos depellere, ſimulque venam ſecare, veſicatoria adhibere, fonticulo vti, oculumque non alia niſi aqua pura fontana eluere, ſuadet, monetque cathartica medicamenta, in primis quibus mercurius admixtus eſſet, oculorum caligine laborantibus nocere. Meis oculis expertus, nil magis oculorum aciem quam cepam, allium, horumque ſimilia, hebetare, adiicio, omnibusque hebetiori

visu vtentibus, ab his vt se abstineant auctor suasorque sum.

XXI

XXIV) *Inflammatis tonsillis vuulaeque* prodest, si emplastrum ex eo sub mento adhibeatur. Hoc ab initio si statim fit, tumorem durum resoluit, quod si autem resolutio fieri non potest adiuta suppuratione pus mouet, & abscessus scalpello, nisi id sponte fiat, aperiendus. Aperto intus in ore abscessu, aeger saepius in die sequenti gargarismate vt vtatur, quod optimum expertus sum, suadeo. R. Scabiosae, saluiae, veronicae, ana ℥iii vel ℥ii, coquantur in aquae fontanae mensura seu cantharo vno, ad huius decocti libram dimidiam adde vini aceti simplicis optimi, ℥i, balsami nostri vulnerarii, mellis rosar. ana ℥ß. Misce. Aegrotus singulis horis, vel dimidiis, os eluat ac gargarizet, id quod dolores lenit, puris profluuium adiuuat, & optime purificat. Eodem modo & aliis in ore abscessibus mederi salutare est, si aperti sunt, ante autem quam maturi aperiantur, vt aeger ipse abscessum, balsamo nostro aequali parte melle rosar. mixto, digito illiniat, in vsu habeo, id quod valde expedit & dolores mitigando suppurationem maturat. Praesente vehementiori tonsillarum vuulaeque inflammatione blande laxantia, ex rhabarbaro, tamarindis & manna facta, aliquoties repetita, & vbi venerea symptomata coniuncta, nostrae pilulae balsaminae mercuriales iuuant. Venae sectio etiam si plethora manifesta adest, salutaris.

XXII

XXV) *Haemorrhoidibus caecis*, tuberculo in intestino recto extrinsecus existente, bis in die mane vesperique impositum, medetur, quod aut resoluit, aut, si nimis induruit,

ruit, in pus conuertit, ita vt abſceſſum effluxa ſublatis doloribus ſanie purificet, ac curet. Cutis ſuper tuberculum, quod nonnunquam accidere ſolet, nimis craſſa, ſcalpello maturo abſceſſu aperienda, ne in ani vlcus, ſi pus corrodendo altius deſcendat, degeneret, variaque mala atque adeo mortem inferat. Interne pulueres praecipitantes ac temperantes, ex oculis cancrorum, nitro puriſſimo, antimonio diaphoretico & cinnabari ♁ii confecti, conducunt, nec non infuſum, in forma theae, millefolii ac veronicae. Sanguinis profluuio ſuppreſſo eiusmodi perſonae haud contemnendam ex venae circa aequinoctia ſectione in brachio inſtituta, deinde blanda alui ductione, haud violenta corporis agitatione vtilitatem percipiunt, ac praecipue eo tempore vini potu, reliqua, venereque abſtinendum, ſin minus, facillime haemorrhoides caecae grauioribus, quam prima vice, ſymptomatibus, reuertunt. Haemorrhoides autem, ſi fluere coepere, nullo modo ſiſtendae, ſed potius, recte ſi non fluant, adiuuandae, licet mei conſilii ſit, vt nunquam haemorrhoidum caecarum, ſanguiſugis aliisque medicamentis, niſi grauiſſimis cauſis ducti, prouocemus fluxum, praecipue in viris nondum quadraginta annos natis, multo magis, venam in brachio ſecando, diluentibus, temperantibus medicamentis, leni corporis motu, ac, quod maxime requiritur, tenui victu, auertamus, quia eiusmodi perſonae aduerſa valetudine feminarum quaſi naturam induunt, puta, animum ſemper ad haemorrhoidum conditionem, vt ad feminarum menſtruam ſanguinis excretionem aduertere, ſi aegrotent, medicum debere, vt taceam eos, haemorrhoidibus obſtructis, iisdem, ac mulieres menſibus ſubſidentibus, ſymptomatibus affici. Emolumentum, quod haemorrhoides ſanitatis

tis respectu iis faciunt, vix ac ne vix quidem magnis incommodis, quae per integram vitam tolerant, dignum, cum corporis sanitas alio modo, sine molestia, atque adeo minori periculo, conseruari possit, si tantum prudentem medicorum participes esse consiliorum diaetae respectu velimus, quae ad conseruandam sanitatem auertendosque futuros morbos plus omnibus sic dictis medicamentis praeseruantibus confert, quibus plurimi saepius sine causa vtentes multum sibi nocent, corpusque balsaminis medicamentis nimium vsi ad tempus quidem roborant, sed re vera in futurum debilitant, ne dicam, haemorrhoides, si mala diaeta vel morbo obstruantur, plus posse per aliquot menses nocere, quam multos per annos antea profuerunt, quo in periculo omnes haemorrhoidibus laborantes versantur.

XXIII

Reliquis inflammationibus XXVI) *hepatis*, *lienis*, *vteri*, *ventriculi*, *intestinorum*, *renum*, *vreterum*, ac *vesicae*, praesidio est, si loca inflammata saepius calide balsamo inungamus, semperque, hoc facto, insuper tenue ex eo emplastrum imponamus. Intrinsecus conuenientia medicamenta praecipuae sumenda, nec venae sectio secundum res circumstantes omittenda, quae in omnibus internis inflammationibus tam vtilis quam necessaria in principio est, quidquid medici quidam, ex calidioribus maxime regionibus oriundi, contra dicant. Horum obiectio, naturam non plus sanguinis, ac ad corporis nutritionem opus sit, facere, nullius est momenti, ac tam falsa quam quotidianae experientiae contraria. Si homines non maiori, ac corpori conuenit, sanguinis copia abundent, cur tandem naturae studio in mulieribus per menses, & in viris per haemorrhoides, certa periodo absoluta, in eorum salutem excernitur

ſanguis? cur tandem his ſanguinis profluuiis impeditis corpora aegrotant? cur tandem ſanguinis detractio tam inſignem vtilitatem in tam innumeris hominibus, quotidiana experientia teſte, affert, omiſſa autem nocet? certe male faciunt ii medici, qui ex Italia oriundi medicinam in Polonia exercentes nimium in ſanguine mittendo ſint difficiles. Aliam ſanandi methodum, victus ratione, in Italia aliisque calidioribus regionibus, aliam in Polonia, frigidiori regione deſiderat, vbi peſſima conſuetudo inualuit, vt plurimi nobilium, aliorumque, ter, quater, atque adeo quinquies in die comedant, ſimulque ſaepius largiori vini, mulſi, vel ſublimati vini, potu vtantur, qua ex cauſa in quam plurimis Polonis continua fere plethora deprehenditur, quae, ſanguine craſſo reddito, eiusque circulo vitali mutato, multorum morborum, vt notum, inflammationum maxime, internarum atque externarum, tuberum ac ſcirrhorum generatrix eſt, qui morbi ſaepius etiam medicis in Polonia, quam aliis in regionibus, occurrunt. Hi, de quibus dixi, medici, altera ex parte ſi minus, Galli altera ex parte contra in Polonia medici, plus, quam conducit, faciunt, qui ſaepius in ſanguine mittendo finem facere neſciant. Germani Saxones autem plerumque hac in re, vt & Itali Gallique prudenter aegrotis medicinam ſecundum regionis conditionem adhibentes, medium tenent beati, cuius haec forte cauſa, quia Saxonia cum Polonia maiori & minori, eodem fere climate vtitur, ideoque & Poloni a maxima parte Germanorum corporis conſtitutione, oppoſitos licet habeant mores, non differunt.

XXIIII

XXVII) *Membra rigentia, torpida & ita frigefacta*, vt ſenſu careant, calorem, ſanguinis humorumque circulum

inducendo, membrum calefacit, fouet, ſenſumque reſtituit, ſi balſamum, linteo craſſe illitum, circa, qua ſenſus ex rigore perditus, imponatur. Quod membra extrema, vt pedum manuumque digiti, ſaepius rigeant ac frigeſcant, inde venit, ſi ſanguis cum reliquis humoribus, qui membro vitam circulando dent, ſiſtat, id quod plerumque, praeciſo vel inciſo neruo, liquidum membro nerueum ad ciendum motum aduehente, accidit. Balſamum autem noſtrum hac praeditum virtute, vt intra aliquot dies, quod falli non poteſt, ſanguinis aliorumque humorum circulum reſtituat. Quod ſi vero neruus praeciſus, intellectu facile, balſamum neruei liquidi aduectionem efficere neruumque ſanare haud poſſe, ſed membrum, ad quod is pertineat, debile ac claudum manere.

XXV

XXVIII) *in curanda ſcabie* multum vtilitatis habet balſamum, ſi loca, vbi exanthemata, ſtatim ab initio morbi, veſperi ante quam cubitum aegrotus eat, inunguntur, cum cetera vnguenta alioquin in morbi principio, maxima ex parte repellentia, nil valeant. Quia autem balſamum reſoluit, aperit, impuroſque humores corrigendo eiicit, ab initio ſtatim recte adhibetur. Simul autem & ſequentibus internis medicamentis opus eſt, ſi ſolide & primis ſcabiei cauſis mederi velimus. Aeger nempe ſudorifera quotidie, blande ſudorem in lecto decumbens eliciendo, ſumat, ad quod nil magis antimonio diaphoretico, ac Stahlii eſſentia alexipharmaca vſu valet, cuius quinquaginta, vel ſexaginta guttae, illius autem quindecim grana, vel ſcrupulus, dantur matutino tempore, quibus, alternis vicibus, ſumtis, aeger inſuper infuſum ex ſaponaria, ſcabioſa, ſaſſafras & ligno ſancto ſufficienti in quantitate bibat,

bat, ficque in lecto bene tectus per aliquot horas iaceat. Mane corpus balfamo oblinitum ante aqua tepida, furfure & fapone, vel quod fatius effe videtur, loco fimplicis tepidae, calcis aqua, abluere oportet. Tribus diebus medicamentis fudoriferis vfus, fequenti abftinet iis aeger, ne debilitetur, quintaque die conuenienti laxante vtitur, ad quod pilulae noftrae balfaminae mercuriales egregie faciunt, quia praecipue & fanguinis acrimoniam corrigunt, ex qua fcabies enafcitur. Hoc peracto, & altera die fudoriferis abftineat aeger, fex nunc a coepta cura diebus elapfis, quo facto a feptima vsque ad duodecimam, eodem, ac a prima vsque ad fextam diem, modo, continuatur, vsque eo, donec fcabies expugnata fit. Notandum, diebus ante & poft laxationem, modo dictum potum largiori quantitate hauftum valde conducere. Balfami autem inunctio quotidie, ante quam aeger fomnum capiat, fine interruptione fit. Caeterum aegrotum prae frigore fe munire, crudis cibis, vino, & fublimato vino, abftinere oportet.

XXVI

XXIX) *in calculi doloribus*, & XXX) *ifchiade*, XXXI) *fphyncteris fpafmo & ftranguria*, fi renum vel veficae inflammatio in caufa eft, loca doloribus affecta faepius balfamo calide inunguntur, vfu quodam valet. In vrinae autem incontinentia, quae debilem fphyncterem indicat, faepius calide circa pudenda infricatur, magis autem conducit, in forma emplaftri in perinaeum & pudendorum regionem imponere, atque ita deligare vt contineat. XXXII) *in veficae vlceribus*, quibus difficillime medicina fit, vtile, fi cum lacte tepido mixtum, fcrupulus femel, per vrethram in veficam iniicitur. Omnibus autem in his morbis, fimul & efficacia interna medicamenta adhibere decet.

XXVII

XXXIII) *Pedes manusque frigore laesos* exquisite sanat, membro mane vesperique ad moderatum ignem bene balsamo fricato, tenuique insuper ex eo emplastro, circa pedes vel manus, applicato, linteoque deligato. Quod si in principio dolores excitando agat, salutaris hic effectus emplastrum detrahendo non turbandus, finitis enim viginti quatuor horis dolores maxima ex parte cessant. Tertia die cutis, subalbida facta, scalpello vel acu perforanda, quo facto flauus liquor effluit, balsamumque membrum paucis diebus post sanat.

XXVIII

XXXIV) *Viperarum morsum* curat, ac venenum extrahit, partibus tumefactis laesisque saepius eo inunctis. Interne liquor anodynus simul conducit, quo tamen plane non opus, si ad manus is non sit. Sanaui hoc modo puerum decem & quatuor annorum, qui in sylua iacens in infima pedis parte vipera admorsus, tertia demum die, cum venenum quotidie altius & iam ad summas coxae partes adscenderet, ad me allatus fuit, solo nostro balsamo, nullis vsus internis medicamentis. Prima statim inunctione adhibita veneni vis ita ademta fuit, vt altius serpere haud potuerit, quo facto continuo se melius, cum semper sex elapsis horis de nouo inungeretur, habuit, quintaque die conualuit. Forte & rabidorum canum morsum sanat, eique externe non male adhibetur, quod nondum expertus sum, interne autem illustris IOANNIS SLOANII sequentem puluerem, contra rabidorum canum morsum, quod nunquam falli possit, laude extollit. R. lichen. terrest. cinericii Raji, piperis, aa. q. s. fiat inde puluis. Quatuor scrupuli tribus diebus mane in lacte vel cereuisia

fia sumuntur, secta vena, abluto aqua fontana frigida corpore a capite vsque ad calcem, eo maxime in loco vbi morsus haeret, abiectisque vestimentis.

XXVIIII

XXXV) *In spasticis manuum pedumque affectionibus*, porro, *si membra torpeant, beneque flecti nequeant*, nec non *in omnibus luxationibus*, reliqua, vtiliter inungitur, &, si necesse esse videatur, insuper tenue ex balsamo emplastrum imponitur, vbi autem aeger dolore non adeo vehementi opprimitur, inunctio sola sufficit. Cruciatus hoc modo leniuntur, membraque ad pristinum vsum apta redduntur.

XXX

XXXVI) *In dysenteria*, tum alba, tum cruenta, enematibus quotidie vti semel aegrum, ex lacte tepido, cui semi vncia balsami admixta erat, iussi, id quod leuationem, cruciatibus ex cruento intestino recto ortis mitigatis, afferebat. Elapsis duobus annis dysenteria in comitatu konecensi, in Polonia minori, valde grassabatur, qui eo tempore valde multis aegrotis dysenteria laborantibus auxilio venire debui, qui autem ad vnum omnes per Dei gratiam conualuerunt, contra ea alii, quibus ob temporis penuriam praesto esse non potui, mortui. Non abs re hic esse videtur, ea, quae hac in re expertus sum, adponere. In initio morbi hypecacoanna fere semper repetitis vicibus vsus sum, quod medicamentum emeticum egregii in dysenteria vsus est, in primis si in principio statim morbi adhibetur. Apud debiliores scrupulus cum dimidio, robustiores autem, duo scrupuli cum dimidio, addito sufficienti vehiculo, propinantur. Sumta hypecacoanna mane multum decocti, ex aqua fontana & cumino, non adeo calide tali modo superbibere iussi, vt aeger semper finita

 vomi-

vomitus operatione fextam canthari Lipfienfis partem decocti hauferit. Aqua flaua vomitu eiecta fuit, apud quosdam fubviridis, apud alios etiam viridis craffior, qui aliis citius priftinae fuere fanitati reftituti. Medicamentum hoc emeticum bis femper, ter faepius, & femel quater vni eidemque perfonae propinare debui. Finitis vomitionibus anima rhabarbari, fingulis tribus horis, dimidio, quantum cochlear capit, magno cum fructu vfus fum, acribusque humoribus fatis euacuatis, lotiones ex lacte balfamoque noftro quotidie femel adhibendas curaui. Aliis aliter, vbi nimius calor atque inflammatio, vel inteftina nimium relaxata fuere, mederi debui, inflammatione nempe praefente, anima rhabarbari & celeberrimi Werlhofii lacte camphorato alternis vicibus vfus, & pulueres praecipitantes ex antimonio diaphoretico, oculis cancrorum, nitro puriffimo atque antimonii cinnabari compofitos, fucco citrino humectatos, optimos deprehendi. Inteftinorum autem fibris nimium relaxatis cafcarilla, cui parum terrae catechu adieci, feci medicinam. Data hac occafione & corticem fimarubae, qui noftris temporibus fpecificum in dyfenteria, quod falli haud poffit, depraedicatur, probaui, fed inueni nullum eum in robuftioribus Polonorum conftitutionibus, vbi praecipue maior inteftinorum atonia fit, vel valde exiguum habere, e contrario iis, qui delicatae conftitutionis lautius vixerint, fimarubam infigni emolumento effe obferuaui. Sanatio dyfenteriae his tribus maxime feliciter abfoluitur, quae neglecta faepiffime mortem inferunt, contra ea bene expedita, ad priftinam fanitatem reftituendam, vtramque faciunt paginam. Primum, vt corpus a frigore omni tempore recte defendamus, fecundum, ne in principio morbi medicamentis adftringentibus, neque

prius

prius vtamur, quam peccans materia omni ex parte euacuata sit, tertium, vt aeger cereuisia, tum calida tum frigida abstineat, & decocto hordei, adiecto succo citrino, tepide vtatur.

XXXI

XXXVII) Quando sanato vulnere rigor membri super est, ita vt eo parum vti aeger possit, praesente etiam tumore, inunctio balsami mane vesperique ad restituendum membri motum, flexilitatemque iuuat, & semper quidem, nisi neruus laesus fuerit: hoc autem si factum, laesus patienter membrum rigidum bis in die, per aliquot menses inungendo, integrum eius vsum obtinere atque expectare debet. Neque minus tamen interdum accidit, vt membrum torpidum atque inflexibile maneat, licet per aliquot menses membrum bene inunxeris. Bis expertus sum, vt balsamum nostrum hoc in casu haud profuerit, ideoque & alia media adhibui. Iussi aegrum manum intestinis calidis modo mactatorum canum & suum inserere, sed nullo vsui fuit. Fotus deinde ac cataplasmata ex optimis herbis resoluentibus emollientibusque adhibere curaui, sed & hoc nulli adiumento erat. Tandem super spiritum vini herbis mixtum manum sudare feci, posteaque eam in eo lauare, sed omnia haec successu caruisse tristis vidi. Idem hoc in alia persona, eiusmodi brachium habente, accidit. Quod si pluribus hac in re experimentis fultus essem, dicere auderem, balsamum, si eiusmodi laesioni non auxilio veniat, omnia quoque alia media in vanum adhiberi.

XXXII

XXXVIII) *Tubera suis tunicis sine dolore inclusa varii generis*, atheromata, steatomata, *meliciris, hydatides*, reliqua,

feliciter

feliciter noſtro balſamo, etiamſi duriora facta ſint, reſoluuntur ac curantur, ſi continuo emplaſtra ex balſamo, bis in die vsque eo donec tubera conſumta ſint, adhibeamus. Saepius hoc in Polonia, vbi tubercula ſaepiſſime obueniunt, balſamo noſtro effeci, & nunc non opus eſt, tubercula exſcindere, id quod non ſolum dolores periculumque procreat, verum etiam ſaepius tubera, licet ſcalpello exciſa fuerint, reuertuntur, ne dicam aliis de malis, quae interdum accidant, vt vena maior vel arteria praeſcindatur, fungus oriatur, isque in carcinoma tranſeat. Expertus ſum ſemel tuberculum ſuppuraſſe, quod balſamum, effluxa ſanie, intra tres hebdomadas omni ex parte ſanauit. Studio tunicam tuberculi a cute non ſeparaui, ſed eum in finem reliqui, ut meis oculis viderem, an iſta vulgaris chirurgorum doctrina, qui, tunica illa niſi eiiciatur, vlcus haud ſaneſcere, ſed ſarcoma oriri, docent, ſemper vera ſit, ſed experientia contrarium vidi, aliique etiam ipſi experiri poſſunt.

XXXIII

XXXIX) *In omnibus abſceſſibus & vlceribus, tum mollium tum neruoſarum partium* vtiliter eo vtimur, quia pus mouet, fibras nimium tenſas relaxando, ſimulque etiam motum ſanarum fibrarum augendo, ac praecipue locum abſceſſus, vbi balſamum imponitur, fouendo.

XXXIIII

XXXX) *In cantharitibus ad exulcerandam cutem adhibitis magno vſui eſt balſamum*, cuius ope multum impuritatis excerne poſſimus. Epidermide forfice inciſa, atque humore flauo, qui in bulla ineſt, emiſſo, emplaſtrum ex balſamo ſuper cutim, maiori, quam aluta fuerat, forma, imponitur, quo facto, ſex vel octo horis elapſis, longe plus humorum

morum effluit, quam cantharides primo effecerunt. Altera, tertia & quarta die pus craſſum naſcitur, balſamo quotidie adhibito, quinta autem & ſexta, vt plurimum exulceratam cutem ſanat. Quod ſi autem per plures dies pus mouere exulcerata in cute velis, balſamo parum cantharidum admiſcendum, ac quotidie exulceratae cuti imponendum.

XXXV

XXXXI) *Paronychiam*, qualiscunque ſit, vel ob externas cauſas, vel internas orta, ſi vel ſub cute, vel ſub vngue, quae non adeo magni momenti, vel ſub perioſtio, vel ſub vagina muſculorum tendines digitorum includente, haereat, perfecte ſanat balſamum noſtrum, licet vltima paronychiae ſpecies funeſta interdum ſit, ſaepiusque male curata in ſpinam ventoſam abeat, atque adeo gangraena inde oriatur, totum brachium occupans. Quae autem hic ſequuntur, bene ſi obſerues, expertus affirmo paronychiam omnem te ſanare, neque vnquam vllum malum accedere ad eam poſſe. Balſamum digito bis in die imponitur, eo non nimis conſtricte deligato. Quod ſi acutiſſimi dolores intra duos dies non remittant, atque adeo augeri videantur, neutiquam balſamo abſtinendum, ſed patientia, vsque dum materia peccans ſatis cocta ſit, tolerandum, quo facto remiſſis doloribus digitus, vt pus vel ichor effluere poſſit, ſcalpello incidendus. Quod ſi nimis profunde malus humor haereat, & vagina tendinum, experto a chirurgo, incidi debet, quae inciſio in omni paronychia ſananda plane, cocta materia, neceſſaria eſt. Hoc modo, balſamo noſtro, factaque inciſione, deſperatiſſimas paronychias ſanauimus. Quando aegri atrocioribus doloribus vexati omniqne ſomno per aliquot

dies

dies priuati, mente quasi capti fuere, tunc digitum in lac tepidum, aequali parte balsamo mixtum per tres & plures horas immergere iussi, quod dolores bene lenit, simulque materiae peccantis coctionem adiuuat. Decoctum geranii Robertiani, in quod digitus calidum immittitur, eundem, si non meliorem effectum praestare, laudatur, vnde herba paronychia audit.

XXXVI.

Extremum, experimentum in solatium sexus sequioris, ac praecipue puellarum, quae pulchritudinem contra variolarum scrobiculos defendere velint, adiicere nullus dubitaui. Finita variolarum suppuratione conuenit, singulas in facie variolas, ne pus profundius descendat, acu perforare, vt pus effluat, quo eiecto valde parum balsami variolae apertioni infricatur, variolis autem deinde intra quatuor dies exsiccatis, loca, quae variolis laborarunt, denuo balsamo inunguntur. Haec si recte opportuno tempore instituantur, vt variolarum cicatrices non tam profundae atque insignes fiant, efficiunt. Praesumtam hic opinionem tangere placet, in qua multi homines, atque adeo medici sunt, credentes variolas plane nullo tempore neque ab aliis aperiendas, neque ab aegro detrahendas esse, si scrobiculi non profundius descendere debeant, id quod falsissimum, opportunum si tempus obseruetur, atque experientia eiusmodi disputationis cito finem facit, quia eae personae, quibus variolae peracta suppuratione apertae fuere, id quod melius, quam si aegri eas ipsi abstergant, non tam multis tamque profundis scrobiculis, quam ii, apud quos haud apertae, laborarunt. Praesumta dicta opinio inde forte, quia nonnulli inopportuno hoc tempore fecerunt, venit, facta nondum suppuratione.

ne. Hoc in caſu cicatriculae profundiores deprehenduntur, vnde omiſſa conditione falſam conſecutionem confecere, variolas plane non eſſe aperiendas. Suppuratio autem ſecundum ordinariam naturae legem in variolis benignis die duodecima ab initio morbi computando, finita eſt, qua die, vel ſequenti decima tertia, tuto variolas aperire balſamumque, ut dixi, infricare poſſumus. Saepius etiam cicatricoſam faciem medicamenta expellentia, quae aegroto in variolarum initio ſine neceſſitate propinantur, faciunt, malaque huc in Polonia conſuetudo referenda, ſecundum quam ſtatim in principio variolis laborantibus hydromeli dant bibendum, quo iam inflammatus ſanguis magis exacerbatur, adeo vt nunc maior ad variolas efficiendas apta materia vi quadam expellatur, ac ſecundum naturae leges non excreta fuiſſet, id quod naturaliter benignas variolas, facillime in confluentes ac malignas mutat. Medicamenta expellentia cum antiquo mulſo, tum demum vſu veniunt, ſi quinta vel ſexta die, vel non, vel difficulter, proueniunt variolae, quo in caſu tam neceſſaria quam ſalutaria reperiuntur. Temperantia & tranſpirationem inſenſibilem liberam adiuuantia medicamenta contra ab initio ad decimam vsque diem proſunt, atque elapſis duabus vel tribus poſtea hebdomadis, blande laxantia ex rhabarbaro, tamarindis & manna, aliquoties repetita, egregie iuuant, atque a tuberculis, quae ſaepius variolis ſuperueniant, defendunt. Balſamo etiam vtor, naribus nimium in variolis exulceratis, quibus turundae balſamo illitae, ne concreſcant, inferuntur.

XXXVII

Hactenus balſami noſtri feci periculum, qui nullus dubito, fore, vt chirurgi rerum ſuarum periti, & multis

aliis in morbis externis vti eo possint. Quidam hoc balsamo vtentes chirurgi ingenue fassi sunt, se id feliciter, vbi balsamina, resoluentia, emollientia & blande roborantia, simulque, secundum res circumstantes, dolores lenientia opus essent, adhibere, & omnibus aliis tincturis vulnerariis, quae efficaciora redderet, admiscere posse, nullaque emplastra, quae super ponerentur, aliena esse, quae ad veritatem dicta, eo melius, nostra experientia conuicti, deprehendemus.

XXXVIII.

Nil restat, quam vt sincere dicam, quo modo medicamentum hoc in chirurgia praestantissimum inueni. Ex improuiso in manus meas medicamentum vulnerarium quoddam incidit, de quo ante sciui, variis vulneribus adhibitum, optimum habuisse effectum, & hanc ob causam pro arcano quoque habebatur. Dudum autem manuscripto chymico, quod infamilia mea asseruabatur, potitus; inter alia vtilia & hoc in eo contentum, qua ratione luna purissima ita praeparari ac in oleum mutari possit, vt medicamentis admixta, mirum in modum ea exaltet & longe efficaciora reddat. Periclitatus sum lunae vires in exaltando medicamento vulnerario, cui nonnulla balsamina ac resoluentia adieci, proportionem saepius mutaui, & tam diu exaltationem medicamenti tentaui, vsque eo, quo mediam & veram proportionem me inuenisse, e effectu vidi. Hac ratione balsamum nostrum vulnerarium vniuersale ortum fuit.

XXXVIIII.

Super est quaedam monere, ne emtores defraudentur. Fuere enim quidam, qui in Polonia id imitari, & nostro sub nomine vendere, haud dubitarunt, cum tamen plane nemo id

id conficere poſſit, ignota proportione ac ſingulari lunae praeparatione, in quibus maximum momentum poſitum eſt. Signa veri a me ipſo praeparati balſami vulnerarii vniuerſalis haec ſunt: pyxis ex lamina ferrea, ſtanno obducta, ex vtraque parte, papyro alba inuoluta, ſequenti ſigillo obſignata eſt. Triangulum aequale, in alia quatuor aequalia triangula diuiſum, lateribus tribus haec tria verba adpoſita ſunt, *veritate, virtute, amore,* ſub quo vltimo literae L. M. conſpiciuntur. In pyxide autem haec verba, Germanorum idiomate, mea manu inſcripta ſunt: *3 Loth Uniuerſal-Wundbalſam, 6. gl.* hoc eſt: Uncia cum dimidia balſami vulnerarii vniuerſalis, ſex groſſi. Verum noſtrum balſamum reperitur VARSAVIAE apud mercatorem HEWELKIVM, in ſic dicta cereuiſiae platea, nec non apud NICOLAVM bibliopolam, in ſic dicta Mariae villae, DRESDAE apud FRIDERICVM GOTTFRIED GERBERVM mercatorem, in foro antiquo in platea, quae a modio nomen habet, *(Scheffelgaſſe)*, LIPSIAE apud beati HOCHEIMERI viduam, in catharinae platea. NORIMBERGAE apud conſiliarium & celeberrimum elegantiorum monetarum cuſorem, ANDREAM VESTNERVM, DANTISCI apud mercatorem LVCAM WOLFIVM, AVGVSTAE VINDELICORVM apud MASCHENBAVERVM, typographum, ERFORDIAE in officina libraria Iungnicoliana, in platea, quae vulgo *der Anger* appellatur.

XXXX

Caeterum immortali numini, cuius mirabilem in me miſerum vermiculum prouidentiam laetus ſaepius ſenſibus deprehendi, pro hoc conceſſo mihi medicamento pias ago gratias, benevolum autem lectorem, ea, qua par eſt, humanitate, rogo, vt qualiacunque a nobis dicta aequi bonique faciat.

* * *

POSITIONES

QVÆDAM DISPVTANDI CAVSA ADPOSITÆ.

I. Prudens medicus, prout conuenit, naturae & dominus & administer esse debet.

II. Plures homines medicorum indoctorum imprudentia intereunt, quam doctorum consiliis seruantur.

III. Fieri per rerum naturam non potest, vt is in curandis morbis certus sit, verique medici nomen mereatur, qui doctrinae motuum, anatomiae, physices, philosophiae sanioris, matheseosque expers. Est, eritque, etiam si per centum annos in vsu medicinam habeat, semper Empiricus.

IIII. Magna infantum pars perit, cum medicorum imprudentia, nimis multa medicamenta adhibentes, tum matrum & nutricum ignorantia, nimio & inconuenienti potu atque alimento eos replentes. Omnes infantum morbi his quatuor rebus possunt & praecaueri & curari, nempe ex absorbentibus, oculis cancrorum praeparatis, ex incidentibus radice iridis florent, ex laxantibus & roborantibus Rhabarbara orientali, & clysterio ex sapone veneto, sero lactis, floribus chamomillæ & semine anisi praeparato. Maxime autem iuuat eo respicere, vt ingestis respondeant excreta, cum in infante, tum in nutrice, cuius lac tenue non adeo pingue, nec caseosum esse debet, & pessima in Polonia consuetudo, vbi plebeiæ nutrices a proceribus, multis & delicatis cibis aluntur, quod infantibus plus nocet quam prodest, quia nimia succorum in iis repletio motibus vitalibus & excretoriis resistit. Contra nutrix victu tenui contenta & sufficienti motu corpus exercens, lac sanissimum, & optime sordibus excrementitiis depuratum, infanti propinat.

V. Venena, qua talia, non sunt venena, sed relatione corporum. Sic arsenicum est venenum pro hominibus & omnibus fere aliis animalibus, lupi autem optima medicina, quem purgat, vt postea melius se habeat, & ita iuuat, vt homines Rhabarbarum. Si nux vomica canibus est venenum, aliis autem animalibus haud nocet. Sic sal commune, hominibus aliisque animalibus saluberrimum, sanguisugas statim necat. Sic fumus tabaci viperas enecat, homines iuuat.

VI. Magna est istorum medicorum ignorantia, qui alexipharmaca & antidota contra qualiaecunque venena propinant, vt mithridatem, theriacum, reliqua, quae media saepius malum augent, vt homo citius moriatur. Sed respiciendum cuius sit naturae venenum, quod aegrotus sumserit. Duplicia sunt venena. Altera sanguinem breui tempore ita coagulant, vt animal vel homo cito conuulsionibus moriatur, altera vasa sanguinis & tunicas nerueas ita corrodunt, vt orta gangraena breui vitam finiant. Priora sunt, pestis, febres malignae, morsus viperae, tarantulae, scorpionis, cicuta, napellus, optima horum antidota sunt salia volatilia theriaci, mithridatis, orvietani, aliorumque, posteriora autem arsenicum, mercurius sublimatus, omniaque venena corrosiua, reliqua, male theriaco, mithridate curantur. In casu enim posteriori, non calor massae sanguinis augendus, sed potius agitatio humorum sedanda, visque corrosiui ligando minuenda est, id quod optime fit oleo oliuarum magna in copia sumto, aliisque rebus crassis. Vomitus, lac calidum, per aliquot dies, & tandem conuenientia purgantia iuuant.

* * * *

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

IOANNI

COMITI IN MALACHOWICE

MALACHOWSKI

SVPREMO REGNI POLONIARVM

CANCELLARIO

DISTRICTVS OPOCENENSIS

GVBERNATORI

CAPITANEO OSTROLECENSI

ORDINIS AQVILAE ALBAE

EQVITI

RELIQVA

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D

AVCTOR

ILLVSTRISSIME DOMINE
MAECENAS SVMMA MIHI
PIETATE COLENDE

T*anta ſemper erga me* TVA *fuit gratia, vt ob varia eaque magna in me collata beneficia, hanc de balſamo meo vulnerario vniuerſali diſſertationem, gratiarum agendarum cauſa,* ILLVSTRISSIMO TVO NOMINI *dicare, nullus dubitarim. Quam bene innumeris fere in Polo-*

nia

nia hominibus, atque iis in primis, qui in comitato TVO Konecensi, TIBI, ILLVSTRISSIME DOMINE, vel seruiunt, vel subiecti sunt, balsamo meo fecerim, ILLVSTRISSIMVM TE testem, si non a re alienum esse videretur, adhibere possem. Gaudio potius perfusus felicem me existimo, qui Tanti Domini gratia haud indignus habitus, de ea, hominibus TVIS, quos patris amore complecteris, omni cum studio medicinam faciens, aliqua ex parte promereri, occasionem nactus sim. Sed non sola haec mea felicitas. Tali TE Domino vtor, qualis vix vspiam melior inueniri possit. Quodsi ingenii imbecillitas stilique haesitantia non me reprimerent, insignes hic tuas, aliis ad imitandum proponere virtutes haud erubescerem. Cum autem, ob imbecillum, in re tam ardua, ad scribendum animum, recte exprimere animi TVI affectiones minime sim idoneus, tota Polonia saepissime experta ipsa dicat, quanta TVA, ILLVSTRISSIME DOMINE, in recte administranda & republica & iustitia, integritas sit, qui, nullo habito personarum respectu, non falso religionis causa zelo inflammatus, secundum diuina humanaque iura, summa cum aequitate, suum vnicuique tribuis. Celebret ILLVSTRISSIMA TVA FAMILIA vna cum omnibus TIBI, ILLVSSTRISSIME DOMINE, inseruientibus, quam amantissimo, prudentissimo atque indulgentissimo, marito, patre ac Domino vtantur. Praedicent de TE, vera cum gloria, amici, quanta TVA sit

in

in adiuuandis bene de republica meritis diligentia, dextraque fides. Gaudeat tota Polonia indefesso TVO *in Salutem reipublicae tendente labore, cui, priuatis* TVIS *commodis posthabitis, publicum vnice emolumentum curae est. Laetetur literata Sarmatia, quae, praeter* CELSISSIMVM EPISCOPVM CRACOVIENSEN ILLVSTRISSIMVMQVE REGNI REFERENDARIVM SVPREMVM, ZALVSCIOS FRATRES, *aliosque Proceres, nouissimos scientiarum in Polonia instauratores, &* TE, MAGNO MAECENATE *gaudet, qui non modo a prima iuuentute literis scientiisque multum operae dedisti, sed etiam peracre iudicium, longo rerum vsu subactum, quid maxime in instaurandis in Polonia scientiis conueniat, habes. Ob haec, quem meliorem* ILLVSTRIBVS TVIS *filiis, praeter* PATREM INDVLGENTISSIMVM, *imitatione tempore exprimendum, ante oculos ponorem, habeo neminem. Me autem gratiae* TVAE *de meliore nota commendo, qui nil magis in optatis habeo, quam vt* TIBI, DOMINO MEO INDVLGENTISSIMO, ILLVSTRISSIMAE TVAE *familiae, atque vniuersae illustri genti* MALACHOVSCIANAE, *ad cineres vsque omni submissione fideliter seruiam.*

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

cultor longe obsequentissimus
LAVRENTIVS MIZLERVS.